



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt IIII. De Vsuardo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42790

CAPVT IIII.

De Vsuardo.

P Rædictis quinto loco succedit *Vsuardus*: de quo ait *Sigebertus Gemblacensis*, in libro de viris illustribus, cap. 85. *Vsuardus* monachus prouocatus studio Hieronymi & Bedæ, qui festiuitates Sanctorum annuatim recurrentes, partim annotauerat: maximè autè animatus studio & iussu magni Caroli Imperatoris, cui displicebat quòd Hieronymus & Beda studentes nimis breuitati, præterierant plurima necessaria, & quam plures Calendarum dies intactos reliquerant, in gratiam eius studuit opus imperfectum supplere, & festiuitates sanctorum per singulos Calendarum dies annotans, integrum Martyrologium compilauit. Hæc *Sigebertus*. & eadem fere habet *Vsuardus* in operis sui præfatione. *Tritthemius* in catalogo addit eum fuisse Ordinis sancti Benedicti, natione Gallum: ac præter martyrologium quædam alia scripsisse.

In primo autem prologo inter eos qui *Vsuardo* communiter præmitti solent, notatur *Vsuardi* opus magis quam Hieronymi aut Bedæ, in usu haberi apud multas Ecclesias. Quæ etiam eius operi creduntur aliqua in locis varijs addidisse, præcipuè de sanctis & festis pertinentibus specialiter ad easdem. Vnde in Chronico Cassinensi annotatur, quòd *Theobaldus abbas Cassinensis* lib. 2. c. 53 (qui vixit centuria 11) inter reliqua describicurauerit Martyrologium Hieronymi plenarium. Hoc est, nisi fallor, *Vsuardum* auctum.

Propter istas autem additiones ad *Vsuardum*, non tam facile est ipsum *Vsuardum* solum, & absque additionibus

L. l. 3 tionibus

DE MARTYROLOGIIS,

tionibus ei indistinctè permixtis, prælo dare: quod tamen nos fecisse spero: quamuis subdubitem num paucos nostros conatus subterfugerint. Interposui quidem nonnulla in ipso *Vsuardo* ex *Beda*, *Adone*, diuersis Ecclesiarum Martyrologijs, & aliunde, sed alio caractere, per quem *Lector* facillime aduertat ea *Vsuardi* non esse. Contuli autem *Vsuardi* Martyrologium Coloniae in *R.* excusum Anno 1521. cum Romanae Ecclesiae Martyrologio: ea enim *Vsuardo* aucto, utitur: item cum eo quod *Lubecæ* impressum est Anno 1475: rursus cum diuersis Martyrologijs in *Francia* & alibi excusis. Quae omnia *Vsuardi* sunt, sed aucta. Et postremo contuli cum permultis *Ms.* Optassem tamen magis vetusta, & *Vsuardi* saeculo, aut circiter descripta. Interim ex horum codicum, quos adhibui, collatione, animaduerti *Vsuardum* Coloniae prædicto Anno impressum, paucos tantum habuisse additiones ab *Vsuardo* indistinctas: plurimas enim habet, sed ab *Vsuardi* verbis notula aliqua distinctas. Indistinctis itaque illis additamentis ex *Vsuardo* expunctis, est in nostro Martyrologio ipse *Vsuardus* peculiari, caractere solus, & diuersorum exemplarium subsidio castigatus. In quibus omnibus *Vsuardus* scriptum inuenio: semel atque iterum *Hersuardus*. *Tritthemius* tamen, & plures *Germani*, eum *Isuardum* nominant.

CAPVT V.

De *Vuandelberti* metrico Martyrologio.

V *Suardum* proximè sequitur *Vuandelbertus*, qui hexametro carmine conscripsit Sanctorum natalitios dies. De eo *Sigebertus* in libro de *viris illustribus*

Cap. 162.